# HOLLANDIAE ETYMON, IN OTIO pauperrime conscriptum.

Per
*Iacobum Brassicam Roterodamum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cicero lib. 2. De nat. Deorum.
*Mihi, qui nihil agit, esse omnino non videtur.*

Salustius.
*Nemo ignavia immortalis factus est, neq; quisquam parens, liberis, ut æterni forent, optavit, magis ut boni & honesti vitam suam exigerent.*

Augustinus de Civitate Dei, lib. 9.
*In otio non debet esse iners vacatio, sed aut inquisitio veritatis, aut inventio.*

Semper Candidè.




HARLEMI,
Ex officina AEgidii Romani, sub Prælo aureato.
Anno cIↄ. Iↄ. xcix.

## M. THEODORI BERGII GOVDANI

### IAMBICUM.

Bataviæ sit nomen undè Hollandiæ,
Ingenia multorum diu jam exercuit:
Quos Braßica inter, arbitrum se denegat
Velle statuere, seu dirimere suffragio
Litem suo. Sua stet eis sententia:
Nil impedit. Tantum bonâ cum gratiâ
Vt impetret, sine ullius calumniâ
Liceat sibi, in medium, suam deponere.

## Ad Lectorem.

*DVm Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est, de Etymo nominis Hollandiæ, & mihi interea satisfactum putem a nemine, statui & ego docere, cur a cõmuni sententiâ discrepem illorum, qui de hac re quicquã annotarunt. quamquam hoc volentem facilè possent & debeant impedire magna sui nominis authoritate, ista tantorum Numina virorum, Petri Nannii, Hadriani Iunii, & Balduini Ronsæi, illius Archiatri vel AEsculapii Goudanorum, in Missellaneis suis opinionem prædictorum, alius Panegyristæ testimonio confirmantis. Veruntamen quum hæc res in probandi munere constet magis quam in conjecturâ leni, & cuilibet eorũ difficile erit probare quod volunt, cur inhonestum sit habenti ocium, mihi præsertim, aut invidiâ aliquâ dignum, si, quod fortè ad jucunditatem Reip. & utilitatem facit, singularia quædam conscribam, diversa ab iis, quæ isti tantopere multis sibi tradidisse rectè videntur. Per te modo id mihi liceat oro atq; obtestor. Non quod animus mibi est Numina nominatorum perstringere, quorum vel umbram perhorrescerem, nedum ipsos tam eruditos, si in vivis essent, quod ego ingenuè fateor, sed experiare verũ esse, veteri quod circumfertur adagio, & olitorem aliquãdo valde esse opportuna loquutum. quasi verò, quanti, quanti etiam iidem sint, quæ ignorabant, satis potuerunt integrè conscribere. Nunquam prudens alicui vertat vitio, dicere de rebus nulli adhuc sat cognitis. An non me hîc*

Mentem ingenuè aperit.

*quicquam nominis eorũ reverentia movebit? Minimè. Etenim Doctores legendi & pervolutandi, unius Panegyristæ sententiâ contenti, animum suum videntur pascere, nisi planè quis concedat solos hæc intellexisse, dum illud sciam, quod nihil scitur perfectè. quale & illud est antiquum sapientissimi Socratis dictum, hoc unum scio, quòd nihil scio. Nunc illi, si ausint, se omnia scire autument. Nihil quidem aliud istis debemus, quam quod Hollandiæ Etymon, tamquam monumentum longè abditum eruere sint conati: at utinam id effecissent probè. Neq; etiam id si effecissent, magni adeo esset æstimandum, quòd res gestas conscribere sit arduum, nihil præter Etymon provinciæ narrare, ociosum. Scimus olim Batavos Romanis nunc Hollandos dici, nec id magnoperè admiror. Sed quum ejus rei occasio hactenus penitus ignoratur, Martini Dorpii sententiam præ illorum amplectar, quam apertissimis, rerum argumentis confirmabo. Invidos scio hũc meæ operæ non esse fauturos: at flocci ego illos faciam, dum satis erit, si te benevolentiâ animi, studium hoc meum qualecumq; non improbare cognovero.*

CAPUT

## CAPUT I.

### *Pristina qualis fuerit Hollandiæ facies.*

QVi nos sæpenumero a vero deiiciunt, oculis ut ajunt, clausis, hæc introspiciamus: videlicet, sylvestrem Bataviam ante Drusi tempora, pæne nullis fuisse cinctam aggeribus, quam partim Rhenus, Mosa & Vahalis ut etiamnum, terminabant, ac quotannis suis mergebant aquis, eam stercorantibus, ut Nilus Ægyptum. Non quod Rheni quæ Nili est limi mollicies, sed structis nondum aggeribus, adversus torrentes, qui è montibus lapsi rapidè feruntur, minacé infractis cornibus, ita ut nunc non potuisse agrorum faciem perdere. Nam ubi torrentium fluviorũ magnum numerum in se recipiens, tumens & audax aggeres hodie disiecerit, dolendum georgis malum adfert, pabulum, agrorumq; segetes perdit: quod utrinque conclusi aggeribus alveus, gurgites non queat absorbere iracentis, unde fit, urgente aquarum mole, quâ res alia vix ponderosior, aggeres dirui atque dirumpi, & quod deterius est, alvei proprii profunditatem limi densitate opplere, atq; hinc ita excrescere, ut jam pæne ipsum agrum altitudine superare videamus, magno utriusq; & Rheni & agri malo. At olim, quum illi liber cursus esset, sponteq; quo vellet laberetur, nullâ vult enim arte seduci, nulla quem vis

inhibeat, cunctos luxurians lambebat agros, pinguedinemq; suam gaudens ac hilaris quaquaversum diffundebat. Nec diutius stagnabat, quàm se exonerasset, succiduusque se proprio reddidisset alveo. Tum enim subsidebant aquæ, inque Oceanum ferebantur, hospitii gratiam semper aliquam relinquentes. Quibus ita a naturá comparatis, subactus & aratus ager altum extabat, sparsum cum gremio semen avidè excipiens, quod ad gignendum, procreandumve plurimum valebat. ex quo colligere est, pristinæ Hollandiæ fuisse longè aliam quam modo imaginem. Primum, Rhenus liber ac profundus, magno agricolarum cõmodo gurgitibus redundaret: Dein, Hollandiæ globus multum emineret, quod fluminis limi & pinguedinis accretione quotannis recurrente fiebat. habes veram ac pristinam faciem Hollandiæ, ut solidam non natatilem probaremus, nec aversari arbores, de qua re latiùs infra dicemus.

## CAPUT II.

### *Novæ Hollandiæ facies.*

ET novam Hollandiam, quam ab arborum feracitate Holtlandiam olim denominatam asseveranter loquor, suffigurabimus, ad animi nostri institutum. Non enim, qualem Aloysius Marlianus, aut Chrysostomus Neapolitanus, viri eruditi descriptionem, reddemus, qui exteris nostrę insulę amænitatem stilo egregiè commenda-

*Aloysius. Marlianus.*
*Chrysostomus Neapol.*

menda-

mendarunt, verùm pro voluptate tali, aliam quæ posteris hominibus jucunditatem & utilitatem erit allatura. igitur quam olim diximus supra Rhenum se extulisse, quantum vel aggeres adversus fluviorũ vim positi, eminent, corpus paludibus occultat, aliquot in locis demersum, pabulumq; jumentis vix præbet, apta alioqui frugibus. Incusandi majores, qui ante diem quam aut ratio postulabat ex immenso torrentem Rhenum in exignum & angustum locum concluserunt. Sed illi, cur hoc decenter fieri cogitarent, quantum possim depromam. Olim bicornis Rhenus, arenariis scopulis, tanquam vasta aliqua obiacente mole, vi tẽpestatis septus, ubi per Catwicos in Oceanum ferebatur, quum limo ita oppletur, ut humorẽ ac pluviam ex agris dehiscere non satis posse in eundem experirentur, pinguissimus enim apud nos est Rhenus, nempe alvei sui altitudine operimento limi obducta, ne omnia tandem obruta aquis jacerent, prudenter sunt hoc consilium amplexi: quamquam serius vellem, si rem pænitus introspexissent. Cicumferimus enim vulgo, maturè nimis Hollandiam aggeribus cinctam. Lætus ager, viridis, pecoris cujusvis dives, cum lactis caseique, tum segetum ad Occidentem admodum ferax, sed quæ inexhaustis agricolę sibi comparant sumptibus. Præter communẽ enim laborem, quem iis tribuere agro natura præscripsit, etiam solicitos impensarum dolor con-

Hollant is hondert Jaren te vroech bedyckt.

ſumit, renovandarum, & forte quavis amiſſarum hydromilarum, fodiendorū ilicum, conſervandorum catadnporum, purgandorum aquę ductuum, ſtercorandorū agrorum, quando limoſæ per ſe ſua eſſe ſolebant gramina, & quæ ferebat ſua ferè ſponte daret, ut ante novam morte abſumpti, meritò eam, ſi aſpicerent, nunc admirarentur.

## CAPUT III.

*Non rectè ſentire, qui a ſoli cavitate ficta, ad indigenam linguam, Hollandiam*, Hol-landt *cenſent appellari.*

COmplures ſunt in ſententia, Hollandiam a mollitudine aſſimili ſpongiis & raritate quadam, ut ajunt, nomen ſortiri, è quorum numero eſt Balduinus Ronſæus. Adrianus Iunius id indicat probabili in ratione conſiſtere. Cur vero ita ſentiant, ex Plinio eſt, quaſdam terras ad ingreſſum tremere, & inſulas ſemper fluctuare. Sed aliena, ex opinione ad Hollandiam rapiunt ex verbis iſtis Plinii fingentes, a ſoli cavitate, quę hîc nulla eſt, Hollandiæ nomen eſſe. Quæ adeò ſolida eſt terra, ut pænitus defixa radicibus ſuis hæreat non quod affirmem orbem innatare Oceano, ſed foraminoſam omnem, humorem naturalem haurire, per quem germinat, frutices alit atq́, conſervat. Quod mollem & non denſam callidiſſimo artificio natura eam fabricata eſt, cava propterea dicenda non eſt. Cavum

Vide Niſcellanea Ronſæi.

Lib. 2. cap. 95.

Cavum eſt,quod exhauſtum,inane,& ab omni re eſt vacuum. At ubi hæc vel manifeſtè paluſtris,vel pedum impulſu tremit,non uda eſt niſi mixta terra, ut nec cavam, nec exhauſtam eſſe quis poſſit dicere.Hollandia aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omnium irriſione ludantur, aſſeverantes cavitati vaniſſimæ rei in natura corpus inhærere. Hoc quicquid eſt ſcrupuli, cuilibet excutiendũ relinquo, præſertim cùm, ubi tales inſulę ſint, Plinius prædicet. Eſſe,ait,non in Batavico, ſed Gabienſi,Cæcubo, & eodem Reatino, Mutienſi,Stationenſi agro, conſimili forte noſtro.Quod ſi in noſtro idem uſuvenit,inſulas emergere, prata natare, jugera ducenta fermè equitantiũ curſu tremere, ab hiatu aut re tantilla Hollandiam concavam eſſe poterunt dicere, aut etiam univerſam vacillare, cum quod hiatus hauſit natura alio loco reddat, ut idem de inſulis tradidit. Plinius, canitatis epiteto cur non prædictos agros notavit? ſed Gabienſem, Reatinum agrum Reatinum,ut vulgus, ligonem, appellat? Si cavam eſſe didiciſſet an non id expreſſum ab illo inveniſſemus? procul dubio, ut mea mens id mihi præſagit, quippe & majore, & externo hoc miraculo, domeſtica confirmaſſet. Sed terra quî eſſet cava cujus globus ſolidus ac firmus olim ſupra Rhenum eminebat, quã &-jamnum in multis locis facie eſt. Si aſſimile ſpongiis eſt ſolũ, ut quidem iſti hoc benè invenerunt, atq; expreſſa ſit quædam vir-

Eodem.

Lib.2.cap. 89.

tus verborum & poteſtas, cur non a Spongiâ turgente potius Bollandiam, quàm cavitate fictâ Hollandiam appellant, inſtar vulgi circumferentis, quoties vult ſoli naturam ſignificare, Hollandt bollandt: quaſi Bullandt propriè & eleganter magis quam ridiculè. Quaſi vero ad ſignificandam rem aliquam, vernacula noſtra unquam verborum proprietate laboraſſet. ex quo patet, aliâ ex ratione nomen Hollandiæ oriundum, Nam quâ de cauſâ ita nominamus, a rebus propinquis & finitimis eſt lignis. Sic ad Etymologiam, verborumq; interpretationem, quæ ſemper probata eſt a majoribus, Friſiabones, veteri antiquato nomine ab aquis Waterlandi dicuntur. Porrectum eſt filũ, cujus ductu, glomerem invenire liceat. Sane, ni credam, majores per Hollandiam, Holtlandiam intellexiſſe tractu temporis, verâ voce amiſſâ, at mente retentâ, ut infra exponemus. Neq; Plinium aliud voluiſſe, quàm admirationem movere hominibus poſteris, ac ideò talia narraſſe: qualia & illa ſunt, in Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas eſſe opacam ſylvam, quę nunquam die ac noctu eodem loco viſitur. De Lydia, quæ Calaminæ vocantur. In Nympheo, parvas ſaltuares dictas. In Tarquinienſi lacu, nemora modò triquetra, modò rotunda ventis impellentibus nunquam quadrata cōſpici. Nam quod præcedit, de Miraculis Terrarũ, & quod ſequitur acervata terrarũ, cæterorumq, elementorum miracula caput exponit.

Cap. 5.

Cap. 2. lib. eod.

ponit. Sic in agro Cæcubo, natura alioqui cætera firmo insulas fluctuare meminit Plinius. Quod si argumentatio, secundum Ciceronem, est inventum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessaiò demõstrans, inferre audebunt, quod, ubi palustris est, vel etiam ubi paulò videtur firmior Hollandia nostra, pedum impulsu quatiatur, universæ materiam nullam subesse? Atqui id Hol-landt sonat. Certè hinc error est virorum doctissimorũ, quod ad Plinii locum, animadversionem suam minus excitarunt. igitur te orem lector, ne de lite judices prius, atq; partem audieris utramq;, neve me, tamquam Cælij filium è cælo demissum rideas, quod novus vir, neq; titulo neque eruditione ulla spectatus ausim literatissimis obstrepere. Quibus si concedere debeam, ut istos Aristarchos scriptorum fuisse scio, me puta hæc tamquam in Phiditiis Lacedemoniorum disputare voluisse. Botrus oppositus Botro maturescit, habet proverbium. Similiter sententia sententiæ collata, rei sæpenumero veritatem, de qua disputatio est, aperit. Verba rerum notæ, multosq; ancipites etiamnum Hollandiæ Etymon facit, ne indè dicam magnam olim ingeniorum fuisse ortam dissensioné atq; discordiam. Iccirco, si quæ ad communem Reip. jucunditaté sine arrogantiâ loquor, feras oportet. Volo enim hìc animi mei sententiam integre aperire, nihil statuere, ut illi Adriano Iunio animus

De invent.

mus eſt conteſtari litem, non cum judice in rem ſuam vertere. Cunctantem & verecundantem magis incitare æquum eſſet, quàm de hac re ſcribere volentem præpedire, de qua præjudicium nullum, nec verè hactenus judicatum eſt.

## CAPUT IIII.

*Opinionis confutatio, ab Olandis Daniæ victoribus, Hollandiæ nomen oriundum.*

MElius alii, inter quos Adrianus Iunius literatorum Corypheus ad curioſitatem in quærendo diligens, ab Olandia Daniæ exiſtimans Hollandiam nomen accepiſſe, quæ contra eam olim dedit arma ſuis, victrixque poſt multa mala & peracerbam Tyrannidem, priſco more ac jure belli, ſibi coloniam hîc conſtituit. Mos enim erat gentis regionem alterius occupantis, in quam ſuos deducebant, novo ac patrio vocabulo ornare, vel ad relicti natalis ſoli in ſe leniendum deſideriũ, vel virtutis ſuæ ſempiternam oſtenrationẽ, quę ille ibidem ex Dionyſio Halicarnaſſæo & Polybio eleganter proſequitur: niſi quod id verè ita eſſe, nemo mihi de famâ ejus ſolâ fecilè perſuadebit. quamquam etiam ille ipſe ſuper hac re voluit multorum opiniones commemorare, nihil aſſerere, ut qui omnia non propiùs, ſed procul & ſummatim introſpexit. Traditum quidem invenio Danos violenter armis in Hollandiam irruiſſe, ſed an a ſuis

*Dyoniſius Halicarnaſſ. Polybius Sic Saluſt. in Iugurtino. Victi omnes in gentem nomenq; imperantium conceſſere.*

suis eam tum Olandis, Danicæ gentis præcipuis denominaverint, juxta ambigam. Vt tamen denominassent, credibile est prorsus inde ad nos id nomen fluxisse? Negaverim. Primum, quia id nemo audebit dicere, quando quo tempore ceperit, in cōjectura adhuc est. Deni, aliter exempla docent. Nam si quoties gens aliqua effrenis & superba ad suæ alterius regioni nomen indidit, credibile est, ut illi quidem mihi hîc id velle videntur, perpetuum mansisse: cur sub Radbodo Frisiorum principe devicta Batavia, *Ratbodus.* quam a Frisia Frisiam appellabat id nominis non continuatur? Aut cur non Franciæ nomen, & Orientalis Hollandia sibi conservavit cognomen, a Pipini temporibus, quod ille Patriæ in- *Pipinus.* didit, postquam hostium domitor à Radbodo eandem violenter recuperasset? Quasi vero hostis quod victis imposuit, ad instar stellarũ, nominis sit perpetuus cursus? Quid, quod Cicero *De natur.* dicat, nulla perennia servari. Et sermo numquam de ullo perennis fuit? *De somnio Scipionis.* Quod si odium immane semper ac crudele est in hostem, neq; precibus mitigari, neq; utilitate deponi, neq; etiam vetustate aliquâ sedari potest, Danorum Tyrannis, cujus omnem exuperantiam crudelitatis, populus merito odisse debebat, ingens causa est cur infinito quodam odio, a Barbaris dissideret, quibus pulsis credam, cum patria antiquum nomen Holtlandiæ, a propinquis & finitimis sylvis deductum, instaurasse, & offecisse maximè

Bar-

Barbaris, ne nominis eorum fama in perpetuum duraret, liberatam a Tyrannide Rempublicam, ex inclinatione cõmunium temporum & voluntatum. Sic urbes infinitæ,& regiones præclaræ armis aliquandiu oppreſſæ, quæ peregrinum nomen acceperant,ex cauſa iſta æterna rerum ad priſtinam potentiam redeuntes,prius ſunt nomẽ ſequntæ. quaſi vero mortales amare queant intolerandæ Tyrannidis memoriam, quam eſſe oppreſſam Reſpublica ſemper gaudet,quia nulla eſt liberis cum Tyrannide ſocietas,ſed ſumma ſemper diſtractio. Quã ægrè ut narrat Valerius, urbe a Gallis diſiecta, deliberãtibus patribus conſriptis,omine lętoCenturionis accepto,Romanũ nomen ortum, Veientinæ urbis appellatione potuit mutari? Sic Romanos ſervitutis pertæſos legimus, Tarquinii ſuperbiſſimi viri atque crudeliſſimi, non ſolum regnum,verumetiam regium illud nomẽ. tantopere illis charum, prius quam caſtiſſimæ illius violæ Lucretiæ pudicitiam, nefando libidinis impetu polluiſſet,evertiſſe. Cujus imperii vim univerſam,omniaque inſignia,populus Romanus ſub Titulo coſulatus, in P. Valerium Poplicolam tranſtulit, qui, ut civitatis conditio eſſet liberior, imperium ſuum paulatim deſtruxit, quod illi gloriam, urbi vero læticiam peperit. Cur excuſſiſſe ejus regnum non ſatis erat, niſi etiam principatus nomen extinxiſſet? Animus populi recordatione tanti ſceleris perhorreſ-

Lib. 1. cap. 5.

Amicis, nominis illud jus, concede.e noluerunt. *Tarquinius.*

*Vide Valerium.*

horeſcebat, exprimẽs, Tyrannidi naturam ſemper eſſe contrariam, nedum Batavos, proavos, liberos, bellicoſos ac fortes, indigeno neglecto, ad ignominiam ſuæ gentis perpetuam, Olandiæ Barbarorum vocabulo gaviſos.

## Caput V.

*Pergit opinionem prædictam confutare.*

AVT victores Danos, alio quàm priſco Holtlandiam vocabulo appellaſſe, videlicet, illud ipſum indigenum potius, Olandiæ ſuæ conſonans prorſus ac ſimile, hoſtes fuiſſe amplexos. Nam quum nominis Olandiæ ſolidam & expreſſam originem nullam habemus, cur dubitemus & eandem Holtlandiã ſignificationis cauſa a feracitate lignorũ olim fuiſſe nuncupatã, præſertim quando ipſe Iunius affirmat, Nortmannos ac Danos ſignificare, *abiegnis & piceis in ſilvis eductos homines, &, qui conſtituendis coloniis eſſent deſtinati, ſimilia plerumq; ſolitos veteribus ſedibus loca deligere, quibus, patriis vocabulis nomina imponebant.* Quod ſi ad Oltlandiæ, Holtlandia tum ſpeciem geſſit; mirandum hoc adeo eſt, Oltlandiam ſenſiſſe, quum Olandiam dicerent, abſque aſpiratione quod per aurium judicium licet, exploſa T. literâ, quæ ſecundum Ciceronẽ eſt inſuaviſſima? Frequenter id in vernacula noſtra uſuvenit, maximè ad oppidorum, pagorum, locorumque nomina, quæ

Cap. 13. ſuæ Bataviæ.

De Oratore.

quæ aliter pronunciamus, quam ſcriptione notantur. Neque id ſolum è noſtrâ, verum etiam multis linguis, quas in vita celeberrimas habemus, ita eſſe deprehendemus. Veriſimile eſt, maſculum illud atq; ſeſquipedale idioma Catthorum, è quibus oriundi, primùm nos uſurpaſſe, ſed quod in naturâ eſt, rebus univerſis, ſuis ſpatiis tranſeuntibus, ac labente tempore linguarum judice, communi inclinatione voluntatis, leviore elocutione Holtlandiam cœpimus Hollandiam dicere, Thraſonicum quodcunq; vitantes. Simile eſt, quod Adrianus Iunius adfert *tot pagorũ nomina in Walt, vel ut nunc loquimur in Woud' exeuntia, qui a ſylvis vocati fuere*, paſſim extare, prioris elocutionis tædio. T. literâ vel omiſſâ, vel in. D. mutatâ, additâ .è. vocali tanquam appendice, quæ uſu duram .T. mitigarent. Verum quas nec ipſas humana exprimit induſtria, cui vocum facilitas grata eſt dum pro *Haſaerts Woude, Haſerſou, Soeter Woude, Soeter Wou Iacobs Woude, Iapſou*. D. extremâ cum è vocali eliſâ effari videamus. Atque hoc eſt, quod dicit Cicero, uſu mollienda nobis dura verba ſunt. Quam etiam rationem ſequuta gens Barbara Danorum, videtur aſperum molliter effutiviſſe ut exiſtimandum ſit, indigenum illud & antiquum hoſtes in aliud nomen non immutaſſe, quando melius & convenientius nomen quam gerebat Holtlandiæ dare non potuerunt, quòd & ſpecie & nomine prorſus Oltlandiæ ſuæ eſſet ſimilis

Cap. eod.

De natur.

ſimilis, ut hujus non victores hoſtes, ſed noſmet authores eſſe his comprobem. Iam qui Olandiam autumant à lupulacei potus cereviſiæque bonitate denominatam quòd Cymbrorum lingua etiamnum Olcereale poculum vocetur, longius petunt quam par eſt rerumq; invertunt ordinem & naturæ. quod ego cum venia loquar ne quem manes viri eruditiſſimi adigant, qui in me nugatorem invehatur.

## CAPUT VI.

*Ex ſitu Olandiæ prior a magis ſtabilit.*

PRænotionem hanc tanquã informationem dare, hactenus meæ partes fuere: reſtat nunc verò, tota domus quæſtionis pateat oculis acutioribus, ut paſcant & exaturent animũ. Topographi Olandiam inſulam ſe littore prętexente, Blenckingiam fermè inter & Verendiã, Suevico in mari Circino locarit, a qua, ut diximus, plurimi contendunt Hollandiæ nomen oriundum, at Tabellæ facies non prędicat, ſe huic obtendere inſulam alteram Zelandiam, ut vult Iunius, niſi remotiſſimo & alieniſſimo tractu, ſed Scaniã Hallandiæ vicinam, a qua Hallandi Germanico Oceano vicini populi, ut a vero abeſſe quã longiſſimè putem, qui ab Olandia autumant nos nomen ſortiri, & quod Hallandia ad Danorum res juvandas propinqua, ſpacioſior & viribus auctior Olandia, & nomine magis Hollandiæ cõſimilis eſt. Quamquã etiam nec ab ea *Olandia.* Quaſi vero Hollandi ab Olandis & Zelandi Zalandis nomen acceperint. *Hallandia.*

ita appellatam reor, secundum unam ac parem rationem, quam de Olandiæ nomine dedimus, quod & indè altissima sylvarum fastigia spectātur, & hostes immanes patriæ, hujus incolæ fuerint. E quibus apparet, quantopere sudasse laborantes, ut nova aliqua populo invenirent.

## CAPUT VII.

*Inditam regioni Nomenclaturam aliam, verisimilem magis, quam dubiam.*

SEd si qua omnino ratione dicenda Hollandia, ex allusione Rhetorum schemate est, alio nomen flectente, in quod Iunius partim animadvertit, partim descendere opinione videtur. †Renerus Snoius avunculus meus magnus

olim

† Renerus Snoius præter tredecim Libros Historiarum de rebus Batavis, scripsit Anti-Lutherū, De arte Poëtica, Alcumisticā, Essentia animæ doctissimū Librum, Sophologiam, quam nondum videre contigit, Paraphrases in Psalmos, [illegible] excussos, Paræneticon ad invictissimum Cæsarem Carolum quintum, Laudem Deiparæ carmine Sapphico, volumine [illegible] Praxis, juvenis Adolescens, Bononiæ sæpe declamabat, disputator adeo subtilis & vehemens, ut ab Academia honorariũ acceperit. Redeuntem indè Adolphus à Burgundia, magno est amore & honore prosequutus. Nam possessiones non mediocres in illum contulerit, cui a medicis erat, & cujus nomini sua ferè omnia inscripsit. Dein legatio ad Regem Scotiæ, honoris causa illi delata est, ut testatur in suis Historiis, nec vanus, qui ipse munera aliquot illum collata a rege vidi. Ad Regem quoque Daniæ Christiernum ob Tyrannidem regno cadentem, Legationem suscepit. Porro in Anglia medicinam exercens, ingentem mercedem pretiumque suæ artis a Principibus viris inter centum Talenta Anglica. Hunc Alardus Amstelredamus ornat Epitaphio, Cor. Aurel. prædicat elogio, Vulcanius Bonaventura laudat Historiographum. At vero Iunius nusquam est ausus, quod sciam, improbare: ut admirer qui illum in suis Annalibus tam insolenter suggillet. Modestia hic mihi injicit manum. quamquam capitis mei periculum non ageretur si plura vellem: velitatio enim est literaria quæ fuit semper permissa. An quod in otio hic eadem quæ ille voluerit tractare dessimenta Reipub. existimabimus per hominem benevolum importata? An non Reipub. studiosum atque ex animo seculum in sepulchro jacentem, grave & insequi contumelia? Aut debuit laudatissimum vituperare, si illi palmam præriperet. Quare cedat me aliquis partis studiosus, atque argumentabitur: *Snoius mendax est in suis cois vanus, empta velit cassâ qua nuce nemo sibi,* αὐτὸς ἔφα. exclamem ad raucedinem, O quam ex profundo sulco petitum argumentum.

olim Goudanorum Medicus, cujus tredecim Hiſtoriarum Libros, vitam Regulorum Hollandiæ proſequentes, latinitatis ſcalpello purgatos, tandem eſt viſura, poſteritas, narrat, & quidem ſeverè, Theudericum primum ex occaſione Hollandiæ id nomẽ indidiſſe. Nam quum nepotem Carolus Calinis Francorum Rex, provincia donaſſet, ut in ſolitudinẽ pænè redactam animi virtute ac rei militaris ſciẽntia, qua ille tum utraq; pollebat, ab hoſtium Tyrannide liberaret, introductuſq; lectiſſima manu militũ a rege eſſet, quod ſentiret Holtlandos & Friſios libertatis amantiſſimos, rebellionem novam moliri, præſertim eo regreſſo, provincia, ad reſiſtendum imparem, ſponte ceſſiſſe. Iviſſeque quæſtum ad regem. is idem tradit, de indomitæ gentis laſcivia, imperium detrectantis: quoad rex a Iohanne pontifice prædictæ donationis authore reſponſo accepto, iteratò, cum Theuderico nepote, itinere quantum poſſet celerrimo Hollandiam reviſeret in ſontes animadverſurus. Quos ille mox omnes noctu è cubili medio abreptos capite plectebat, cum ex plebe aliquot iteratæ perduellionis facibus inſimulatis, breviter & acutè eos notans a ferocitate mentis, appellanſque Hollandos, ab hollen uſitato ac omnibus trito vocabulo. Etenim id mutuatum ab equis incitatioribus eſt, aurigam & habenas non audientibus, ad homines autem ſi referatur ſepta rationis tranſilientes ſignificat. Quam

*Iohannes pontifex.*

*Iohannes Stella. Adr. Iunius.*

„rationem & Iohanni Stellæ, Philippi Regis hi-„storico eloquentissimo Iunius scribit deliba-„tam, incertus abs quo ille acceperit, sive alio, sive ipso medico Goudano cujus in Collectanea incidisse, sibi non tam gratulatur, quam legisse ingenuè fatetur. quamquā in illa Iunius, nusq; sit debacchatus. Quin imo ad hibita quadā erga manes ejus *recte* ut ait, *conditos* reverentia, subjungit hæc verba, favorem aliqualem testātia: *quod si ipsam veritatem alte abstrusam nobis iste in lucem protulit, quid prius, quidve antiquius hoc nomine a rege potentissimo indito, nobis esse debuerit, nobis, in quam, quibus ut obsequii gloria debetur, ita authoritatem regiam desugere, immane & inexpiabile fuerit.* Ex depravatione joci frequenter aliquorum nomina mutarunt, ut, quoniam Tiberius Claudius, Nero, in castris avidius potabat vinū, dictus sit, Caldius, Biberius, Mero. Sic in nomen Verris jocatus est Cicero, quod omnia verreret, hoc est, nihil reliqui faceret homo furax. C. Marius quoq; ne ad ipsius glorię suggillationem penetraret, diutina usurpatione firmatam consuetudinem abrupit. Mugilla etiam, quod maximam dotem, quinquaginta milia æris in mariti domum adduxisset, Dotatæ cognomen meruit; Multùm valent ea in re principū facetè dicta, ut etiam vulgi. sed sine assensione verisimilitudinem quis velit sequi?

*Ad. Iunius contra I. Dousa hunc improbe petit*

*Cicero.*

*Vide Valeriū Max.*

## CAPUT VIII.

*Non aliundè arbores invectas, quod P. Nannio placet, sed regioni congenitas.*

QVi in eam aliundè arbores invectas ariolatur, iis animi languorem & soporem ex probare jam libet, quando congenita esse regioni ligna, tot nemora saltusq; testantur, quorũ etiamnùm procul fastigia admiramur. ut hoc satis signi esse debeat, Holtlandos olim sylvicolas fuisse. Videlicet, illa ipsa nemora manu consita, plena voluptatis, de regionis natura judicium ferunt, lignorum esse admodum feracem, quæ nisi studio agriculturæ evulsa, in novalia verterentur, passim, ut didici sylvescerent, agrũque vestirent. Nihil refert regiones alias, nostrates proceritate arbores vincere, modò credant eas Tellurem sponte produxisse, qualiter natura rerum parens, quæ universa fingit pro varietate loci, ex vi sua incredibili, eadẽ aliis majora, aliis minora largitur. Quod si hæc mea dicta audiam nõ probari a sapientibus vel eruditis, Adr. Iunium capiã arbitrum, à pagorũ nominibus in numeris, Nemore sacro, sylva ferali, Tessaliæ littore, arborũ strage, effossione scandularũ, probantem, Holtlandiam olim syluosam fuisse. Et Plinium, asserentem, montes & valles diligere robur, & abietem, item descendere etiam robur in plana, ut & Corylum, Fraxinũ, Fagum, quarum magnam copiam, velut una scaturigine, tota olim fundebat Holtlandia, ut fagea, an quercea, vel alterius ligni tum fuerit, sit dubitandum. Adhæc, si verum est, quod auritus Testis Ad. Iunius, ex Boshusy Tessaliæ ore prætoris

Cap. 13.

Lib. xvj. cap. xviij. Anotura.

toris se comprobat didicisse, insulæ ejus littora, sylvam aluisse. Nunquid id admirabile genus causę, quod salsugine laborantia, ad gignendum quid procreandumve, inepta tamen non reperiuntur? Quanquam oculto Naturæ artificio, nõ solum in littoribus, verumetiã alto, frutices, abieté, quercũ, cubitali altitudine nasci, scribat

Lib. 13. cap. 25. Plinius. Glandem etiam quasdam ferre, in alto, Naufragis hæc deprehensa, Vrinantibusque, maximo argumento, Holtlandiam tum arboream fuisse. Sed quî hanc rem credibilem faciam, affirmantibus, insulas sylvosas, fluctibusq; suffossas, ventis impellentibus, aliundè hic consedisse? fœtusq; suos ad Tessaliæ littora stravisse?

Lib. 16. cap. 1. Quę opinio illorum opplevit animos, quod Plinius tradit: *Non procul a Caucis, circa duos præcipue lacus, littora ipsa obtinere quercus, quæ suffossæ fluctibus, aut propulsæ flatibus, vastas complexu radicum insulas, secum auferant.* Non falsò memoriæ proditum, inde fluctuum verberationes aliquando insulas eruisse, ut è ripis torrentium fluviorum altioribus, æterno cursu cavatis, sæpè videmus, soli superficiem cum arboribus aliquot decidere. Crassa ea animadversio est. Verum a Caucis abreptas, atq; huc transvectas totas insulas, ad mensuram suam se explicuisse, mihi verò non videtur simile. Nec dubium quin si in hanc oram delatæ essent, Plinius aperuisset, cujus artis erat nosse & animadvertere regiones, præsertim, ille, quæ consequuta sint exponat: *Ita librata*s

*bratas stantes navigasse, ingentium ramorum armamentis, sæpe territis classibus nostris, cum velut industria fluctibus agerentur in proras stantium noctu, inopesq; remedii illæ, prælium navale adversus arbores inirent.* Nulla hîc mentio, vix conjectura ex his aliqua elucet, in vicina æstuaria insulas devectas quæ illi Plinii verbis addunt, ad figmenti sui complementum. Et quid vastę complexu insulæ aliud quam Hyperbole est, augendæ rei gratia, non quod vastitate, nostræ mensuram, insulæ illæ adæquaverint. Nam Metaphoricôs quantulacumq; pars soli, aquis circum clausa, insula dicitur, ut domus nullis contiguæ ædificiis; quæque viis undiq; continentur, quarum Spartianus scribit, olim trecentas triginta quinque Romæ incendio absumptas. Quas Plinius scribit insulas, ego fragmenta fuisse colligam, quæ maris fluctibus quassata, prono lapsu solo se abruperunt, ut non in Tessaliam transvectas, sed naturam ibidem constituisse arbores videatur, littoribus nondum salsugine tanta laborantibus, & vicinioribus continenti: ut sententiosè ridicula adferant, mente judicantes ad Tessalię mensuram sylvosas aliunde insulas ibidem invectas quievisse, inq; Bataviam lignorum materiam convexisse. *Spartianus.*

## CONCLUSIO.

Alias ad huc plures Ad. Iunius refert, quas me quoq; refellere decuisset, Ut Irenici & *Irenicus.* Her-

*Hermann. Cõtractus* Hermanni cognomento Contracti, eorumque qui a fœno largo, Hoylandiam dictam autumant, sed ratione nulla fultas præteribimus. Satis sit ex omnibus præcipuas attigisse, atq; ex his, quæ per capita prosequutus sum, ut quid sit illud, de quo in singulis disputatur, facilius intelligeretur, probasse, non aliud, quam Martinus Dorpius præscribit, nomen Holtlandiæ convenire, quem ego hac in re sequor, ita tamen Lector, ut si tibi illud quod mihi placet dixeris non probari, mihi non tibi scripsisse videri velim. Adhac te cogitare, me umbraticam *Lucianus.* pugnam, ut est apud Lucianum, adversus mortuos pugnare noluisse, quod turpissimam judico, sed verbis mentem propriam explicare voluisse, quo involutæ rei obscuritas, sententiarum varietate, tamquam sydere sensim evanes-*Horatius.* ceret. Igitur Horatianum illud usurpem,

*Vive, vale*, si quid novisti rectius istis Candidus imperti, si non, his utere mecum, ocijque mei fructus sit tibi hic novus labor.

SEMPER CANDIDE.

W